

2051

CODICES

2052

pretatur. Magna hic aquae virtus in omnia tribuitur, atque inter alia *c. ult.* ubi de ejus circulari per humanum Corpus motu sequentia leguntur: *Also feiret auch das wasser in des Menschens leib gar nit, sondern hat in gannzem leib, seinen augenblicklichen lauff, und fueret alle ding, so ir Ambt im leib verricht, wider zu den lufftlöchern heraus, in den blasen, und volgents stundlich gar aus dem leib, das gebet also scheibligs im Zirkel herumb, als lang der Mensch lebt.* An hic ante *Harvaeum*, post *Servetum* tamen, ad *sanguinis* per corpus *circulationem* adludatur, *Aesculapii* filiis dispiciendum relinquimus.

DXXXVIII.

893 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 3. f. continet Scriptum *Davidis Foris* five *Georgii* noti hominis fanatici *Delpbensis* ad *D. a Lasco* de *resurrectione*. Est istud, ut videtur, tantum Excerptum; adducuntur enim et aliorum *Davidianorum* de eadem *Resurrectione* *Somnia* et inter cetera cujusdam dicti *Huch Janfs* de *Shellyng Weerck*. Interim ad calcem legitur: *Halleluia. 25 Maj. ann. 1544. Finis maioris epistolae Davidis ad D. a Lasco.* Epistola haec igitur *Basileae* scripta est, ubi se mense *Aprili* h. a. *David* cum familia et adseculis quibusdam insinuaverat coemittis fundis in *Johannem de Bruck*, vel de *Binningen* mutatus, ut

Basileensis Studiorum Universitas narrat *Relatione* vernacula titulo: *David Georgen außz Holand des Ertzkützers warhafftige histori &c.* ibi a. 1559. 4. edita, quo anno *Viri* corpus exhumatum una cum *Libris* et *Icone* ejus picta per *carnificem* crematum est. In hac *Relatione* inter erroneas ejus opiniones recensentur etiam illa, quae *Scripti* nostri argumentum est, videlicet: *Christum*, ut ceteros omnes, secundum *carnem* abivisse in *viam* universae *carnis*, id est, perpetuae *mortis* corporalis, sed *filium* illum *Dei*, qui in illo extitit, conscendisse ad *dextram* patris secundum *spiritum*, et nunc in se, *Davide*, perfectiorem rediisse ad secundum *judicium*; et qui sunt ejusmodi horrores. *Scripti* initium est: *Ne arbitrare mi dilecte, quod nos, qui vivimus, aliud externum corpus induere debemus &c.* De *Joh. de Lasco* dictum est saepius, ut ex *Indice* liquet.

DXXXIX.

400 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 76. 4. continet *Somnia* *Homini* fanatici et inepti temere in chartam conjecta de *Utriusque* *Reipublicae*, maxime vero *Sacrae* *Reformatione*, quorum *Elenchum* in calce positum delibabo: *Ad christianissimum et inuittissimum romanorum &c. regem ferdinandum. Ad omnes gentes colloquium. Ad illustrissimos christianorum omnium oratores. Ad homines*